



# Programm

des

## Königlichen Progymnasiums zu Hohenstein in Preussen.

Eine Einladungsschrift

zu

der öffentlichen Prüfung im Schuljahre 1848 — 1849,  
am 3. April 1849.

Inhalt:

1. *De literarum artiumque liberalium sive ingenuarum apud Romanos conditione*  
Von dem Oberlehrer Dr. F. Krause.
2. Schulaachrichten. Von dem Director C. Fried. Aug. Dewischeit.



Hohenstein, 1849.

Gedruckt in der E. H. Harich'schen Buchdruckerei.



# Prace

## Prace naukowe i literackie z dziedziny historii


### z dziedziny historii

z dziedziny historii z lat 1912-1913

z lat 1912-1913

z lat 1912-1913

z lat 1912-1913



z lat 1912-1913



## De literarum artiumque liberalium sive ingenuarum

### apud Romanos conditione.

---

**A**n te commercia, quae haberi coepta sunt cum Graecis, frequentiora, animos Romanorum ab iis literis artibusque, in quibus non utilitas quaeratur necessaria et solida, sed animi libera quaedam oblectatio, prorsus fere abhorruisse satis constat, nec Cicero dubitat confiteri de Fin. II. 21. Romanos a Graecis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habere. Conf. Epist. ad Q. fr. I. 9.

Mansuetiores, ut ita dicam, Musae in civitatem immigrarunt illo tempore, quo Graeci doctores Romam ventitantes et prae ceteris Polybius et Panaetius Graecarum literarum amorem in Romanorum animis incenderunt. Antea enim, quum Romani non colerent artes nisi ad bellum, remque publicam gerendam atque jus civile pertinentes, despectis omnibus literis, quae quasi in privatam ingenii oblectationem exercentur, id potissimum patribus in educandis filiis cordi erat, ut ad majorum instituta et civitatis disciplinam honestate, gravitate, virtute virili imbuerentur. Namque adolescentes non tam literis et artibus, quam usu et more publico observando, non tam doctrina varia quam videndo omnia et audiendo erudiebantur. Deducebantur enim toga virili sumta ad viros honoratos, rebus gestis pariter atque virtute claros, audiebant eos de jure respondentes, de

republica disserentes, animos habebant ad populares contentiones et senatorias  
 sententias attentos, gaudebant convictu principum contubernioque ducum. Quintil.  
 XII. 11. 5 — 6. Quam ad rerum actionem nullis aliis literis nisi legendi, scri-  
 bendi, computandi rudimentis paucisque poëtarum versiculis et carmine duodecim  
 tabularum instructi accedebant. de Legg. II. 23. Virtutis enim laudem omnem  
 in actione consistere communis erat persuasio. Hic vero adolescentes ingenuos  
 erudiendi mos, cognitione literarum Graecarum per magistros Romam frequen-  
 tantes, itineribus adolescentum, magistratuumque in dies magis diffusa, novam  
 induere formam coepit atque totus fere obmutuit, quum reipublicae gerendae ra-  
 tione conversa, omnia ad paucos principes, ingentibus divitiis, magnis clientelis,  
 vi militari praepollentes delata essent. Conf. Ellendt brev. eloq. Rom. Actio  
 enim virorum in republica honoratorum, qua adolescentes institui possent, in ar-  
 ctiolem gyrum in dies compulsa prorsus fere evanuit, nec fuit quidquam reliquum,  
 quam ut adolescentes ex sole et pulvere ad doctores umbratiles confugerent  
 planeque novam discendi viam, literis artibusque illis, quae vocantur ingenuae  
 sive liberales, muniam, inirent. Haec, quae fuerint, quibus terminis circumscriptae  
 ex Ciceronis, Quintilianique scriptis illustrare, operae pretium videtur. Tanta  
 autem occurrit varietas nominum, quae a Cicerone his artibus imposita sunt, ut  
 ab eorum enumeratione ordiri ad rem pertinere videatur. Vocantur enim honestae  
 artes Brut. 59., pro Coel. 4., ingenuae disciplinae, de Fin. II. 21., ingenuae  
 artes, Epist. ad fam. IV. 3., de Fin. V. 25, Tusc. V. 22, de Orat. I. 16, optimae  
 disciplinae, in Caecil. 12, optimae artes Epist. ad fam. VII. 1, XII. 1, XIII.  
 40., Acad. pr. II. 1., de Fin. II. 34, de Div. II. 1., pro Arch. 1., pro Cael. 9.,  
 pro Lig. 5., optima studia, Epist. ad fam. XII. 1., XIII. 16. — Studia artium  
 liberalissima, de Orat. I. 3., de Rep. III. 3. — ars et liberalis doctrina, Epist.  
 ad fam. IV. 4., XIII. 2., Acad. pr. II. 1., Tusc. II. 11., de Fin. V. 3. — artes  
 elegantes et ingenuae, de Fin. III. 2. — politior humanitas, de Orat. II. 17., —  
 politior elegantia, de Fin. III. 2., — elegans doctrina, Orat. 3., — elegantia  
 doctrinae, de Orat. I. 2., — ingenua studia atque artes, de Fin. V. 18., —

de rebus quibus praeter scriptas virtutes clares, audiebant eos de iure respondentes, de

magnae, maximae, laudatae artes, Orat. I., de Orat. III. 23., I. 3. — artes, quae sunt libero dignae, de Orat. I. 16., bonae artes, de Orat. I. 34, II. 3, III. 33., pro Cael. 19, 32., de Sen. 9., bonae disciplinae, Rhet. ad Her. III. 7., doctrina ingenuarum et humanarum artium, de Orat. III. I., — liberales doctrinae atque ingenuae, de Orat. III. 32., — praeclarissimae artes, de Orat. III. 32., politissima doctrina transmarina atque adventitia de Orat. III. 34. artes transmarinae et importatae, de Rep. II. 15., — propriae humanitatis artes, de Rep. I. 17.

Studia ista liberalia, quibus apud Graecos ἐγκύλεια μαθήματα fuit nomen, in urbem inventa paulatimque diffusa, omnibus ingenuis honestoque loco natis erant perdiscanda, quibus puerorum juvenumque mentes ad humanitatem fingerentur. Vocabantur liberalia et ingenua, quia non quaestus, sed oblectationis et animi cultus causa exercebantur. Etiam si his ex humanitatis studiis delectatio sola petebatur, haec animi adversio humanissima et liberalissima ducebatur. pro Arch. 7.— Opera vero opificum, bajulorum, operariorum, sellulariorum omniumque, quos nomine βάναντος ὄχλος comprehendunt Graeci, Plut. Pericl. 12., quae quaestus et vitae sustentandae causa dabatur, sordida erat. de Orat. III. 32., Parad. 3., Isti enim illiberales labores de Fin. I. 1., ab omni politiore elegancia abhorreere videbantur de Fin. III. 2. Quod discrimen artificiorum et quaestuum liberarum et sordidorum de Off. I. 42 uberrime explanatum legitur. Improbabantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrebant, ut portitorum, feneratorum. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emebantur: erat enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putabantur, qui mercabantur a mercatoribus, quod statim vendebant. Opificesque omnes in sordida arte versabantur: nec enim quidquam ingenui habere credebatur officina. Minimeque artes eae probabantur, quae ministratae erant voluptatum. Quibus autem artibus aut prudentia major inerat, aut non mediocris utilitas quaerebatur, ut medicina, architectura, doctrina rerum honestarum, eae erant iis, quorum ordini conveniebant, honestae. Mercatura autem

tennis sordida putabatur, magna et copiosa non erat admodum vituperanda. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquirebatur, nihil erat agricultura homine libero dignius — Conf. de Sen. 15. Ab artificis hujusmodi operosis de Off. II. 5, necessariusque sed minimis, de Rep. I. 22., quae ad victum, vestitum, cultum vitae exercebantur, Romani tandem ad elegantiora defluerunt. Tusc. I. 25. Tam vero, qui honesto loco nati cum Mûsis, h. e. cum humanitate et doctrina, commercium habere volebant Tusc. V. 23., eos divites esse, tantam certe pecuniam habere necesse erat, ut ad liberaliter vivendum sufficeret Parad. VI. ad fam. VII. 1., ut perpetuos sumtus suppeditaret, nec solum necessarios sed etiam liberales, de Off. II. 12. Quanti haec politior humanitas facta sit, documento est locus, de Legg. I. 17.: appellari quidem ceteros hominis, esse vero eos solos, qui essent politi propriis humanitatis artibus. Manilius quidem de rep. II. 15., gaudet, Numam doctrina Pythagorae imbui non potuisse et facile patitur, non esse Romanos transmarinis nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. Id autem, quin dictum sit de priscis temporibus, quibus nondum in urbem infusa esset peregrinitas, dubitari nequit; etenim Graecorum inventis Romanos excultos esse ad humanitatem atque mitigatos Ciceronem libere fateri non pudet ad Q. fr. I. 9., ubi dicit, non solum in Graecis ipsis fuisse humanitatem, sed etiam ab iis ad alios pervenisse; praesertim in ea vita atque in iis rebus, in quibus non posset residere inertiae aut levitatis ulla suspicio, Romanos ea, quae consecuti essent, iis studiis atque artibus esse adeptos, quae essent Graeciae monumentis disciplinisque traditae. Tusc. IV. N, pro Arch. 3. Illas autem genuinas atque domesticas virtutes, quibus Graecos longè inferiores fuisse dicit, ex ordine recenset Tusc. I. 1.: Romanos et mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares melius tueri et lautius, rem vero publicam majores certe melioribus temperasse et institutis et legibus, in re militari quum virtute multum valuisse, tum plus etiam disciplina; gravitate, magnitudine animi, probitate, quas dotes natura non literis, assecuti essent, Romanos longe superiores fuisse; doctrina vero et omni

literarum genere Graecis cecidisse. — Rationem etiam, qua Romani in literis ingenius versarentur, longe aliam minusque laudabilem fuisse, nemo est, quin videat; Graecis enim animi cultus humanitatis erat cibus, quem nulla utilitatis solidae ratione habita per se expetebant; Romani vero, quemadmodum in provinciis aestimandis dignitatem et prae ceteris utilitatem examinabant, sic in vitae genere eligendo, in animi viribus exercendis nunquam a se impetrare poterant, quin utilitatis rationem omnibus praeferrent reliquis. de Orat. II. 82., in Verr. II. 2. 1., pro Mur. 10, 11, 14., minimeque sunt eorum studia illa laude nobilitanda, quam Horatius de art. poet. 323 Graecis tribuit „Graecis ingenium, Graecis dedit ore rotundo Musa loqui, praeter laudem nullius avaris“ Quam penitus ista utilitatis ratio Romanorum medullis insederit, documento sunt Romani quidam humanitatis non expertes, qui tamen illis temporibus eruditus, quae vocatur, a Cicerone, ad Att. XII. 18., non dubitabant bibliothecis omnium philosophorum unum duodecim tabularum libellum quum propter auctoritatis pondus, tum propter utilitatis ubertatem praeponere de Orat. I. 44., qui mathematicarum disciplinarum studia sola metiendi ratiocinandique utilitate terminabant Tusc. I. 2., qui nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles easdemque non necessarias collatam vituperabant de Off. I. 6., qui in poetis evolvendis tempus consumi nolebant, ex quibus nulla solida utilitas perciperetur omnisque puerilis esset delectatio, de Fin. I. 21., quibus illa disputatio de partu ancillae, sitne in fructu habendus, potior videbatur, quam sermones de rebus philosophicis de Fin. I. 4., qui nihil magis sequebantur, quam ut dignitas cum utilitate esset conjuncta, de Orat. II. 82. Rempublicam vero capessentibus prae ceteris videndum erat, ne quid privatis studiis de opera publica detraherent, Acad. pr. II. 2.; nam artium studiis, quae in veri investigatione versabantur, a rebus gerendis abduci contra officium credebatur, de Off. I. 6., pariterque eloqui copiose, modo prudenter pluris quam vel acutissime sine eloquentia cogitare ob utilitatem majorem aestimabatur, de Off. I. 44. 45. Erant igitur haec studia plurimis in operis subsecivis, laudesque, quae ex iis manabant

minus notae minusque pervulgatae neque omnino aequiparabiles cum laudibus popularibus illustribusque Acad. pr. II. 2. Quodsi Cicero de Div. II. 39., nihil tam valde vulgare esse, quam nihil sapere jure queritur, admodum paucos Romanos fuisse, quorum studia vitaeque omnis in rerum cognitione versaretur, qui ipsa cognitione et scientia capti cum maximis laboribus compensarent eam, quam ex discendo caperent voluptatem, id, quae erat totius populi vivendi agendique ratio, facillimum est ad intelligendum. Conf. de Div II. 3. Plurimis enim illa humanitatis facie leviter adpersa urbanitas satis erat, quae ornabat ea animi instrumenta, quae quisque natura, usu, domesticis praeceptis habebat; nec sane crebri erant principes civitatis, qui illis animi instrumentis adjungendam sibi etiam doctrinam et uberiores rerum cognitionem putarent. Etenim ratio, qua hae artes, liberales colerentur, Romanis probata ea erat, ut plerasque primoribus tantum labris degustarent. Dubitandum quidem non est, quin eos magnarum artium sicut arborum altitudo delectarit, radices stirpesque vero non item, quum tamen esse illa sine his non possit. Orat. 42. — Hinc manarunt illae opiniones verae humanitati adversae: omnia facile disci, si tantum sumas, quantum opus sit, de Orat. III. 23., nec unquam omnino quidquam disci posse, nisi cito. ibid., philosophari quidem placere, sed paucis. de Orat. I. 37., ista studia improbanda non esse, moderata modo sint de Fin. I. 1., Ea enim erat literarum conditio, ut utiles quidem sed non necessariae haberentur multique doctrinae notas in occupationibus publicis data opera dissimlarent. de Orat. II. 36., neque minus Romanos artificiorum scite et venuste factorum rudes fuisse vel ea levia duxisse et admirationem dissimulasse admonet Cicero in Verr. II. 35., IV. 2. 43. 60. — Sic Romani istis studiis nisi temporibus subsecivis operam non navabant, nec per longius tempus in iis acquiescebant, nisi a negotiis publicis aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, Philipp. II. 8. Quum autem omnes hae ingenuae et humanae artes uno societatis quodam vinculo continerentur, pro Arch. I. evasit ille centus disciplinarum vel orbis doctrinae, quem Graeci *ἐγκύλιον παιδείαν* vocant Quintil. I. 10. I. Jam videamus, quae fuerint hae disciplinae. Numerantur de



Orat. III 32. in artibus, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur geometria, musica, literarum cognitio et poetarum atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicuntur. Conf. de Fin. III. 3. Cicero miratur de Orat. I. 3., ex omnibus iis, qui in artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati, multos quidem philosophos, multos grammaticos, minimam vero copiam poetarum egregiorum et pauciores etiam oratores existisse. Conf. ibid. I. 10. Commemorat de Fin. III 1., dialecticos, physicos, geometras, musicos, grammaticos, rhetores et pergit „ut omittam has artes elegantes atque ingenuas“ Quintilianus I 10. 1. puerum priusquam rhetori tradatur, grammatica etiam philosophiae et rationis siderum elementa amplectente I. 4. 4., geometria et musica, ut efficiatur orbis doctrinae, instituendum existimat. Graeci vero in iis artibus numerasse grammaticam, latissime patentem, rhetoricam, philosophiam sive dialecticam, arithmetica, musicam, geometriam et astronomiam pro certo habemus.

Jam de singulis his disciplinis, quae fuerint Ciceronis aetate scripturi, ordiamur ab ea arte, quae reliquas magno post se intervallo reliquisse videatur.

I. De Grammatica.

Grammatica, quam in Latinum transferentes literaturam vocaverunt, fines suos paulatim proferebat; nam tenuis a fonte assumptis poetarum historicorumque viribus pleno jam alveo fluxit, cum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam complexa esset., Quintil II 1. 4. Haec quoque ars duce Cratete Mollote, Aristarchi aequali, tempore, quod inter bellum Punicum primum et secundum interjectum est, Romam venit. Suet. de ill. Gr. 2. Is enim agmen duxit eorum grammaticorum, qui institutis acroasibus et docta poetarum interpretatione, Romanorum ingenia acuerunt et tanquam irritarunt, quo paratiora magisque idonea ad reliquas ingenuas literas libandas evaderent — Percommode accidit, ut ex illo tempore Graeci eruditi, eorumque scripta in dies frequentius Romam arcesserentur, quibus imbuti, allectique Romani ipsi suas ingenii vires periclitari coeperunt. Aemilium Paulum enim adeo Graecis literis deditum fuisse, ut Graecos grammaticos, sophistas, pictores, sculptores, rhetores domi haberet filiosque iis imbuendos traderet, Plutarchus Aem. Paul. 6 auctor est. nec minus familiariter Scipionem Laeliumque Panaetio, Polybio aliisque Graecorum doctis viris usos esse, Cicero innumeris locis refert de Rep. I. 10., de nat. Deor. I. 3., pro Arch. 3. Brut. 26., Off. I. 26. Fuerunt etiam, qui ludos Romae habere inciperent, mercede grammaticam docere professi, cujus rei primordia Spurio Carvilio debentur. Is quum primus Graecis scriptoribus, quos discipulis explicabat, Latinam Livii Odysseam adjecisset, fines artis Grammaticae protulit Brut. 18. Quibus vestigiis insistentes complures evaserunt Grammatici, qui artem poetarum studiosis adolescentibus multiplici ratione exponendorum in scholis exercebant, quarum mox viginti Romae existisse Suetonius I. c. tradit. Sic factum est, ut in Italia jam tunc plena Graecarum artium et disciplinarum usus Graecae linguae tantopere increbesceret, ut quum Molo Rhodius in senatu sine interprete auditus esset, is communis humanitatis expertus et pacne rusticus videretur, qui Graece non loqueretur Val. Max. II. 2. 3. —

Sed

Sed haec hactenus. — Revertamur eo, quo degressi sumus, ad ambitum scilicet, quem habuit Grammatica, describendum. Istam enim artem non modo totam recte loquendi scribendique rationem, sed omnino omnem fere eruditionem liberalem amplexam esse, id nobis diligentius scrutantibus elucebit. Studia enim Grammaticorum et ad linguae ipsius formas et leges et ad historiae geographiae antiquitatis cognitionem et ad iudicium acre, quo vitia virtutesque sermonis examinentur, vel ad recti existimationem pertinebant. Jam ambitus grammatice scientiae eosdem fere terminos, quibus apud Graecos circumscriptus fuit, apud Romanos quoque habuit. Dionysius Thrax enim sex ejus partes commemorat, quae sunt: ἀνάγνωσις, ἐξηγήσις, γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις, ἐτυμολογίας ἕρσεις, ἀναλογίας, ἐκλογισμός, κρίσις ποιημάτων, ὃ δὴ καλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ. Sextus Empiricus adv. Grm. minus distincte tradit τὸ ἱστορικόν, τὸ τεχνικόν, τὸ ἰδιαιτέρον, δι' ὅν τὰ κατὰ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς μεθοδεύεται. Qua cum partitione Quintilianus et Diomedes fere consentiant, quorum ille I. 4. 1. affert recte loquendi scientiam et poëtarum enarrationem, quibus adjicit recte scribendi rationem, emendatam lectionem, mixtum his omnibus iudicium; hic vero docet, corp. Grm. ed. Putsch. p. 421, totam grammaticam consistere praecipue intellectu poëtarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione. Quae omnes partes in gyrum a Varrone jam ductum redigi posse videntur, qui continet lectionem, enarrationem, emendationem, iudicium. — Hinc videre licet, quo jure Cicero de Div. I. 18. grammaticos poëtarum interpretes vocet; quid sentiat de artis hujus ambitu de Orat. I. 42. exhibuit: „in grammaticis poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus.“ Quintil. I. 2. 14. Hinc grammaticis, quoniam multiplices literarum variasque disciplinas neque eas divulsas nec discerptas, sed concentu quodam consociatas complectebantur, nomen philologis inditum est. Hanc philologi appellationem primus Attejus adsumsisse videtur Suet. c. 1., quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina inclaruit. Apud Ciceronem

vocabula „grammaticus, literatus, philologus, doctus“, verbo illa quidem discrepantia, re vero idem sonantia alternant Ep. ad fam. IX. 16, XV. 21 — ad Q. fr. II. 10., ad Att. XIII. 12. 29., de Fin. I. 4., III. 1., Tusc. I. 1. 3, V. 36 — de Orat. II. 74. 90., III. 24. 60., pro Mur. 7., Rhet. ad Her. IV. 4. de Off. I. 37., III. 14., Orat. 3. 21. 27., in Pis. 30., pro Arch. 2., pro Scaur. II. § 22. Nec raro eruditi vocantur, qui in literis liberalibus sunt versati, de Fin. I. 7. „Vellem equidem, inquit Cicero, Epicurus ipse doctrinis fuisset instructor, est enim non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur“ Tusc. I. 3., Brut. 82, De Sen. I. pro Mur. 31., Quintil. I. 5. 25, I. 6. 12.

Jam studia grammaticae honorifica honestaque fuisse Ciceronis epistolae sexcenties declarant, et prae ceteris Varro ille doctissimus, ad fam. IX. 8. principum civitatis, Caesar Cicero, alique permulti, qui per tempora subseciva in haec studia incumbebant, testes possunt citari ad Att. XIII. 44., Quintil. I. 7. 34. Publice etiam haec studia digna haberi sunt coepta, in quibus elaborarent Romani, ex quo Caesar omnes liberalium artium doctores, quo libentius urbem incolerent, civitate donavit Suet. Caes. 42.

Quibus praemissis jam via munita videtur ad singulas disciplinas, quas Grammatica continet, illustrandas.

Ante commercia cum exteris nationibus frequentiora latine loqui usus et consuetudinis erat sermoque incultus quidem sed tutus a depravatione. Una cum commerciis mutuis et artium incrementis non solum sermonis corruptela sed etiam linguae locupletandae necessitas apparuit. Tum demum quid emendate aut vitiose, quid urbane aut rustice, quid Latinum, aut quid peregre esset adscitum, coeptum est quaeri. Hinc factum est, ut non solum antiquae puritati sermonis et quasi castitati, quas diutissime mulieres retinebant, quippe quae ab externi moris contagione remotissimae essent, Orat. 12., Brut. 58., conservandae, sed etiam copiae et ubertati linguae augendae darent operam, qua in re longe plurima Ci-

ceronis industriae debentur. Neque amplius sufficebat sermo purus et incorruptus, accederet oportebat, quo suavior esset, urbanitas, Quintil. VI. 3. 17., quae non tam in verborum quodam delectu et candore, quam quadam suavitate et sono vocis, urbis Romae maxime proprio, cernebatur, quo Romanos, etiam in quibus minimum esset literarum, omnes quamvis literatos provincialium et Italicorum superasse constat. de Orat. III. 11. 12., Brut. 46., eaque virtus quae nihil sonabat aut olebat peregrinum, etiam ex scriptis, ne levi quidem doctrinae nota adpersis, eluxisse traditur de Fin. I. 3. Opponitur urbano genus oppidanum et inconditum Brut. 69., commemoratur sonus agrestis et rusticanus de Orat. III. 11. Neque solum ad os Romanorum rotundum pertinebat urbanitas, fuit etiam ratio agendi, sentiendi, iudicandi, quae homines in urbe liberaliter educatos decebat per totam vitam et sermonem moresque fusa. ad fam. III. 8. 9., de nat. Dr. II. 29, ad Q. fr. II. 10. Ea Stoicis in virtutum numero fuit Epist. ad fam. III. 7., ornabatur etiam facetiarum quodam lepore de Orat. I. 34. ad am. VII. 32. pro Coel. 3. —

Recte vero loquendi scribendique rationem pro fundamento habebant Grammatici. Nam emendate loquendi regula Grammaticae prior erat pars Quintil. I. 5: 1. Notabant enim, quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi essent posita, Quintil. I. 8. 13., foeditatem barbarismi et soloecismi extirpabant Rhet. ad Her. IV. 12. Quintil. I. 5: 5., iudicium suum glossematis i. e. vocibus minus usitatis, tropisque atque schematis, quae vocantur, interponebant Quintil. I. 8: 15. 16., animos habebant affixos ad consuetudinem sermonis in eruditorum consensu positam Quint. I. 6: 45: — Grammaticae vero elementa non erant tanquam parva fastidienda, non quia magnae erat operae consonantes a vocabulis discernere, sed quia interiora velut sacri huius adeuntibus, apparebant multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam posset, Quintil. I. 4. 6. Grammaticae enim amor et usus lectionis non scholarum temporibus, sed vita spatio terminabatur. Quintil. I. 8: 12. Cicero ipse huius artis diligentissimus fuit et recte loquendi

usquequaque asper exactor. Quintil. I. 7. 34. Scribit enim ad Atticum VII. 3. „Venio ad Piraea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraea scripserim — non Piraeum — sic enim omnes nostri locuti sunt, quam quod in addiderim. Non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco; et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum et Nicias Cous non rebantur, oppidum esse Piraea.“ Id vitium non auctoritate Lucilii, qui sit malus auctor Latinus defendi vult, sed Terentii exemplum profert oratque Atticum, tanquam Aristarchum suum I. 14., quoniam grammaticus sit, ut hoc sibi ζήτημα persolvat. Conf. ad fam. XVI. 10., Philipp. XIII. 19. Alio loco ad Att. XIII. 21. verbum Attico minus probatum eamque ob causam illo suasore mutatum, inita subductaque ratione restituendum curat. — „Inhibere illud tuum, quod valde mihi arri-serat, vehementer displicet, est enim verbum totum nauticum. — Facies *sustinere* sit in libro, quemadmodum fuit; dices hoc idem Varroni, si forte mutavit — Fortasse legendum est Marioni, quem fuisse unum ex Ciceronis librariis patet ex Epist. ad fam. XVI. 1. Quo studio emendate eleganterque scribendi adductus Cic. Tusc. II. 3. vehementer vituperat Epicurum et Metro-dorum propter sermonem negligentem parumque accuratam, quorum scripta non fere praeter suos quisquam in manus sumat, sibi autem videri, quidquid literis mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Plurimum vero de lingua novis verbis componendis flectendisque a vetere stirpe ditanda Stoici sunt meriti. — Sic Acad. post. I. 8. legimus, iis probari verborum explicationem, i. e. qua de causa quaeque essent ita nominata, quam *ἐτυμολογίαν* appellarent, pariterque studiose exquisivisse, unde verba essent ducta de Off. I. 7. Orat. 27. et quicumque Chryssippi disciplina instituti essent, novisse primum vim, naturam, genera verborum et simplicium et copulatum, deinde quot modis quidque dice-retur. Orat. 32. 57. Deinde de Fin. III. 2., ubi de necessitate verborum novorum in artibus ingenuis fingendorum disserit, Stoicos dicit Cicero plurima verba novasse, Zenonemque eorum principem non tam rerum inventorem fuisse quam verbo-rum novorum. Numerus quoque partium orationis a Stoicis auctus est. Quint. I. 4. 18.

Altera jam res, cui grammatici operam navabant, erat poëtarum Graecorum et Latinorum studiosa pertractatio. — Sunt enim grammatici poëtarum interpretes vel explanatores de Div. I. 18. 51. Quid deceat, *πρόποι* hoc appellant Graeci, Romani decorum, philosophis in officiis, eloquentibus in omni genere et parte causarum, grammaticis in poëtis est videndum. Orat. 21., Quintil. II. 4. 2., II. 5. 1. Quibus in evolvendis summa se cum delectatione versari eosque ita dulces esse, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur profitetur Cicero Tusc. II. 11. Commemorat enim Platonem, quum poëtas sensisset animos mollire nervosque omnes virtutis elidere, eos ex civitate ea, quam finxisset optimis moribus, eductos voluisse; Romanos vero, doctos scilicet a Graecia, haec et a pueritia legere et discere, hanc eruditionem liberalem et doctrinam putare. — Eos, qui se Latina scripta dicant contemnere, quique rudes omnino sunt in poëtis Romanis aut inertissimae seguitiae aut fastidii delicatissimi accusat, negatque quemquam sibi satis eruditum videri, cui Latina ignota sint. De Fin. I. 2. 7. neque tamen minorem gloriae fructum ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, propterea quod Graeca legantur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus exiguis sane contineantur. pro Arch. 10. Quum plerique adolescentes grammaticis studiis eo potissimum consilio operam darent, ut oratores evaderent probabiles, Crassus de Orat. I. 34, quo facilius id assequerentur, legendos iis poëtas dicit. Nam a poëtis in rebus spiritus et in verbis sublimitas et in affectibus motus omnis et in personis decor petebatur. Quintil. X. 1. 27. Neque summae eruditionis modo gratia sed etiam jucunditatis Ennii, Terentii aliorum inseri versus solebant ab oratoribus Quintil. I. 8. 11. Quae omnia poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus in arte grammatica conclusa erant. de Orat. I. 13. 42. Idque postremum, quod vocis moderatione et verborum conclusione positum est a poëtica, quia poëtis proxima cognatio cum oratoribus sit, ad eloquentiam traducendum esse suis explicat de Orat. III. 34.

Sed ne nos partibus intentos operis summa fallat, pleno jam gradu in tertium locum est ingrediendum, qui est de antiquitatis memoria, historiarum et geographiae cognitione. His enim in doctrinis grammaticorum excellentia et virtus maxime elucebat. —

In magno nomine et gloria fuerunt, qui memoriam antiquitatis collegerant, qui peritissimi erant rerum et exemplorum et omnis vetustatis. Epist. ad fam. VII. 10. de Sen. 4. II., Brut. 56. Historia quoque alere orationem quodam uberi jucundoque succo credebatur, quia proxima poetis esset Quintil. X. 1. 31. Erat praeterea oratori maxime necessaria rerum gestarum ordinis et memoriae veteris cognitio, maxime scilicet Romanae civitatis, sed et imperiosorum populorum et regum illustrium. Commemoratio enim antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi afferebat et fidem Orat. 34. Exspectabant ii, qui audiebant in iudicio, exempla ex veteri memoria et monumentis et literis plena dignitatis atque antiquitatis in Verr. III. 69., pro Cluent 48., Rhet. ad Her. IV. 2., Quintil. XII. 4. 1., id X. 1. 34. — Sic Cicero ipse, quum rerum publicarum cura liberatus erat, de rebus historicis et geographicis disserendo sibi optime consultum putabat. ad Att. XIII. 30. 32. 33. — Se studio historiae ardere, verum sine Attici ope nihil efficere posse profitetur ad Att. XVI. 13. e. Urget instigatque d. legg. I. 2. Atticus, qui et ipse conservatis notatisque temporibus annorum septingentorum memoriam uno libro colligaverat Orat. 34., de Fin. II. 2f., annalem librum confecerat, ad Att. XII. 23, omnem rerum memoriam breviter complexus erat, Brut. 3. Ciceronem, ut tempus sumat ad historiam componendam, quam illo tractante fore, ut Romani in hoc etiam genere Graecis nihil cedant, sperat. Id fuisse opus majus neque idem cum opere de temporibus suis, quod aetatem non tulit, veresimile est. — Ad Atticum scribit II. 2. se in manibus habere Dicaearchi Siculi, quem mirabilem virum appellat, libros de Pollenaeorum, Corinthiorum et Atheniensium rebus publicis. Rebus etiam geographicis Cicero delectatus est. — Pollicetur



eum Attico II. 4., se de geographia operam daturum, ut ei satisficiat. Conf. ad Att. VI. 2. Hanc quoque literarum Romanarum partem sua opera locupletari, Ciceronis plurimum intererat, cui proposito Atticus materia ex Graecis potissimum fontibus, Eratosthenis Cyrenaici, Hipparchi Nicaeensis libris conquirenda pro virili succurrebat. ad Att. II. 6. Attamen res difficiles esse ad explicandum et *ὁμοειδῆς* neque tam posse *ἀνθροπογραφῆσθαι*, quam videatur, Cicero conqueritur. Cujusdam Serapionis Antiochensis librum acceperat, II. 4. cujus autem, quum mathematicam hujus doctrinae disciplinam contineret, millesimam vix partem se intellexisse confitetur. Omnino vero rudem in hac disciplina eum fuisse, satis refellunt scripta ejus quae legimus de his rebus edita de nat. Deor. II. 19 — 41., neque minus carmina Arati, quae ab eo admodum adolescentulo in patrium sermonem sunt conversa. — Laudat praeterea otium literatum, earumque literarum studia, quibus infinitas rerum atque naturae et in hoc ipso mundo coelum, terrae, maria cognoscantur Tusc. V. 36. Omnino rationis siderum gnarum esse oportere grammaticum, qui ortu toties occasuque signorum in declarandis temporibus utatur, Quintilianus affert. I. 4. 4. et I. 10. 46.

Quarta res Grammaticorum maxime propria, in qua omnis vis et acumen ingenii cernebatur, erat iudicium, *κρίσις ποιημάτων ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ*. Id peracre in Caesare fuit, ita ut ex diversis acute et facete dictis facile dijudicare posset, utrum Ciceronis essent, necne, ad fam. IX. 16. Laudantur ibidem Servii Clodii, grammatici literatissimi, tritae et eruditae aures, quas haberet notandis poetarum generibus et legendi consuetudine, ita ut facile diceret: hic versus Plauti non est, hic est. Quemadmodum enim in musicis aures eruditae desiderantur, de Rep. II. 42. et oculi eruditi in arte pingendi fingendique Parad. V. sic peracri iudicio in dijudicanda scribendi loquendique ratione opus erat. Sequebantur quidem grammatici consuetudinem, certissimam loquendi magistram utebanturque plane sermone ut nummo, cui publica forma erat; omnia tamen haec exigebant acre iudicium Quintil. I. 6. 3. Pariterque

oratori delectus verborum aurium quodam judicio ponderandus erat de Orat. I. 37. Neque sufficiebat solus naturalis sive communis sensus, quo etiam imperiti gaudebant. Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte et ratione, quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava dijudicant. Id enim judicium in communibus sensibus est infixum neque ejus quemquam funditus natura voluit esse expertem de Orat. III. 50.; de Orat. II. 16. pro Planc. 13. 14., pro Cluent. 6. Neque enim, ut Ciceronis exemplo utar, multitudine pedes novit, nec ullos numeros tenet, nec illud, quod offendit, aut cur aut in quo offendat, intelligit et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis sicut acutarum graviumque vocum judicium ipsa natura in auribus omnium collocavit Orat. 51. Is communis sensus locis aliis aliter vocatur; de Orat. II. 30 naturalis et vulgaris prudentia, de Fin. IV. 27 communis prudentia, quam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere, de Orat. III. 29. communis mens, de Orat. I. 23. vulgaris popularisque sensus, communis opinio, de Off. II. 10. communis et popularis opinio ubi agitur de dicendi ratione ad populi captum accommodanda — Prooem. Par., Orat. 33., commune judicium popularisque intelligentia — Arctius vero contractam sensus communis notionem invenimus apud scriptores Augusti aetatis ubi est ea sentiendi agendique ratio, qua ubique tempus, locus, homines cum decoris honestatisque studio respiciantur. Conf. Heindorff ad Hor. Sat. I. 3. 66; quem intellectum apud Ciceronem habere videtur communis vita Philipp. II. 4. plerumque vero communis vita opponitur vitae sapientium de Amic. 6. 11. de Div. I. 39. Quae vero longius erant ab imperitorum intelligentia sensuque disjuncta, ea non poterant populari quadam trutina examinari, sed egebant aurificis statera, haec Grammaticorum acuto et subtili judicio relinquebantur dijudicanda. Sic Cicero, quae Graece Latineque diligenter scripserat, Attici, quem suum Aristarchum vocat, judicio subjicere solebat, ita ut Graece scripta, si ab Attico probata essent, multo ipsi viderentur *ἄττικώτερα*, ad Att. I. 13. Is enim non modo, quae forte barbara et *σόλοιχα* erant dispersa, solebat miniata cerula notare, sed etiam, quae homini Attico minus Graeca eruditaque viderentur, fastidire ad Att. I. 19. Noluit enim Cicero idem in se cadere, quod

Lucullus in historiis suis data opera fecerat, qui idcirco a barbaris quibusdam non abstinerat, quo facilius illas probaret Romani hominis esse. Pariterque dicit Cicero se miniatam Attici cerulam in opere, quod scripsit de officiis, pluribus locis vereri ad Att. XV. 14., XVI. 11. Cicero opus suum de gloria Attico probari laetatur, eosque locos, quos Atticus tanquam pulcherrimos excerpserit, quae *ἀνθη* vocantur, sibi ipsi florentiores videri Attici iudicio dicit. Eadem *ἀνθη* Ep. XVI. 2. vocantur elegarii suntque loci electi atque insigniores, qui quam scriptoris ipsius et amicorum iudicio haberentur pulcherrimi maximoque plausu digni, in convivio recitari solebant. Quam diligenter et paene fastidiose Cicero scripserit, emendarit, limarit, patet ex Ep. ad Att. XVI. 3. et XIV. 17. Mittit enim Attico suo *σύνταγμα* de gloria, sed retractatus et quidem *ἀρχέτυπον* ipsum crebris locis inculcatum et resectum, oratque ut in macrocollum tralatum legat convivis suis. Deinde ad Att. XIII. 21. Balbus ab Attico quintum Ciceronis de Finibus librum descripserat, in quo Cicero dicit se non sane multa quidem mutasse, sed tamen quaedam. Itaque monet Atticum, ut reliquos libros contineat, ne Balbus *ἀδιόρθωτα* habeat. Quanti fecerit cerulas Attici miniatulas declarat XVI. 11.; illum enim reprehendere non solum se facile pati dicit, sed etiam laetari, quippe quam in ejus reprehensione sit prudentia cum *ἐπιμελείη* libenterque se ea corrigere, quae ab illo sint animadversa. — Sic haud invitus assentitur Attico, qui pro „eodem jure, quo Scipionis, eodem jure quo Rubriana“ et pro „quid indignius est hunc vivere, indignissimum est“ vult scriptum et haec emendatio in orationem Philippicorum secundam Cap. 40. quadrare videtur. —

Idque commercium literarum non solum cum Attico habebat, sed etiam cum Varrone, Bruto, ad Att. XIV. 20. aliisque viris illius temporis ingeniosissimis et eruditissimis. Brutus enim ad Att. XV. 1. b. orationem suam in concione Capitolina habitam Ciceroni misit petivitque ut eam, antequam ederetur, corrigeret. Cicero vero, qui de optimo genere dicendi se cum Bruto dissentire ardentiusque scripturum fuisse dicit, si illam causam habuisset, hunc laborem in

Atticum transfert oratque ne *ὑπεραττικός* sit in judicando. Recordantem enim *Δημοσθένους* fulmina, dubitare eum non posse, quin et *ἀτιμώτατα* gravissime dici possint.

Verum ex studio isto elegantur scribendi assensionisque aequalium captandae vitium manavit, quo Cicero ipse infectus videtur. Scribit enim ad Atticum XVI. 6., in libro de gloria prooemium idem esse, quod in Academico tertio. Id eam ob causam evenisse, quod haberet volumen prooemiorum, ex quo eligere se solere, quum aliquod *σύγγραμμα* institueret, oratque Atticum, ut illo prooemio desecto, novum, quod exarasset, agglutinaret. Conf. XIII. 32. Is enim mos ante operis confectionem nitide prooemiandi operariorum quodammodo videtur esse, non literatorum.

Jam eorum virorum, qui aut aetate paulo superiores aut Ciceronis aequales de arte grammatica plurimum sint meriti, ut paucis mentionem faciam, reliquum videtur. — Reperiuntur autem et viri, qui ipsarum literarum tractatu delectati nihil in vita aliud agerent, et ii, qui quidquid otii de reipublicae occupationibus et de forensi labore relinqueretur, id in studia artium ingenuarum recolenda conferrent. — Post Cratetem illum Malloten, artis inter Romanos tanquam creatorem, et Spurium Carvilius ejus vestigia prementem, duo exstiterunt viri et studiis grammaticis iidemque artis, quae erat ejus contubernalis, rhetoricae maxime incliti, L. Aelius Stilo Lanuvinus et Servius Clodius, ille Cicerone adhuc admodum adolescente jam senex, pro Aem. Scaur. II. § 22. Ipse enim Cicero Brut. 56. adolescentem fuisse se apud Aelium eumque audire perstudiose solitum esse narrat praedicatque virum omnino egregium et equitem Romanum, cum primis honestum eundemque eruditissimum et Graecis literis et Latinis: antiquitatisque nostrae et in inventis rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritum. — Pari laude Servius Claudius sive Clodius effertur Ep. ad fam. IX. 16.; criticorum enim literatissimus vocatur,


cujus libros quum Graecos tum Latinos sibi donatos esse laetatur Cicero ad Att. I. 20. Aliosque bene multos, qui studiis grammaticis innotuerunt, Suetonius de ill. Gr. enumerat, quorum tamen pauci a Cicerone nominantur.: Saeuius Nicanor, libertus Attici ad Att. V. 3., Helenius Acro. V. 12., Nicias Cous, Ciceronis praeceptor, quocum in Cilicia fuit, ad fam. IX. 10., ad Att. XIV. 9., Tiro, doctissimus Ciceronis libertus, qui libros quosdam suos de variis et promiscuis quaestionibus *Παρθένας* inscripsit, tanquam omne rerum ac doctrinarum genus continentes Conf. Gell. 13. 9. Quanti eum, tanquam amicissimum in literis adiutorem, Cicero fecerit, testatur ad fam. XVI. 1 — 27., ad Att. VII. 5., IX. 17., XIII. 25, XVI. 5. P. Nigidius Figulus, quocum Cicero et in republica et in literis conjunctissime vivebat, ad fam. IV. 13., unus omnium doctissimus studiis et artibus a pueritia floruisse et multa ingenio studioque suo peperisse dicitur. — Operis ejus maximi, quod Commentarii grammatici inscripsit, in quod studia sua de etymologia, de formatione linguae, de interpretatione verborum obsoletorum inchoata contulerat, Gell. N. Att. 10. 5. pauca fragmenta ad nostram transmissa sunt memoriae. — Quaestiones vero ejus luculentiores fuissent, nisi animum Pythagoreorum doctrinae deditum artium abstrusarum studiis occupatum habuisset. Gellius enim N. Att. 19. 14. dicit, Nigidianas commentationes non perinde in vulgus exire atque Varronis et obscuritatem subtilitatemque ejus tanquam parum utilem esse. Omnium vero grammaticorum hujus aetatis palmam M. Terentio Varroni, quem scientiam suam ab Aelio accepisse tradit Cicero Brut. 56., tribuendam esse, omnes uno ore consentiunt. Ambitu enim doctrinae Alexandrinos illos polyhistoros aequasse vel etiam superasse videtur. Id perspicimus ex inscriptionibus operum ejus, quorum admodum paucae reliquiae ad nos pervenerunt. Scripsit enim de rerum divinarum et humanarum antiquitatibus, Annales, de vita populi Romani, de poetis, de scenicis originibus, de natura rerum, de re rustica, novum satirae, quae vocatur Menippea, genus induxit. Maxime autem ejus opus grammaticum de lingua Latina inclauit, cujus tres partes initio libri VIII. ipse protulit: „Oratio natura tripartita est: prima pars docet, quem-

admodum vocabula rebus sint imposita, secunda, quo pacto de his declinata in discrimina ierint, tertia, ut ea inter se ratione conjuncta sententiam efferant.“ Laudatur a Quintiliano X. 1. 9. 5. „Alterum Satirae genus condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimusque fuit linguae Latinae et omnis antiquitatis et rerum Graecarum nostrarumque, plus tamen scientiae collaturus, quam eloquentiae,“ et XII. 11. 24. „Quam multa, immo paene omnia tradidit Varro.“ Quam propter scribendi assiduitatem a Cicerone ad Att. XIII. 18. *πολυγραφώτατος* vocatur ejusque studia, quibus in fundo suo Casinate delectabatur, celebrantur Philipp. II. 40.“ Studiorum sacrum M. Varro voluit esse illud deversorium, quae in illa villa dicebantur, quae cogitabantur, quae literis mandabantur! jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiae ratio omnisque doctrinae!“ Pauca adhuc de studiorum ratione, quaque laude jam apud aequales cumulatus sit et quantum Cicero acutissimo hujus viri judicio tribuerit afferre non absonum videtur a nostra quaestione. Is enim ad Att. XIII. 12. Attico cupienti, ut scriptum aliquod Varroni dedicaretur, respondet, se antea orationes aut aliquid id genus solitum esse scribere, ut Varronem nusquam potuisset intexere; postea autem, quum coepisset res *φιλολογώτερας* et Varro sibi denuntiasset magnam sane et gravem *προσφώνησιν*, se Academicas quaestiones ad Varronem libenter transferre velle. Quam sollicitus sit de Varronis judicio, quantopere cupiat scire, quid ille de quaestionibus suis sentiat videmus ex Ep. XIII. 24. 25. Quibus quamquam nihil elegantius scriptum judicat, tamen Varronis fastidiosam subtilitatem versu Iliadis XI. 654 leviter perstringit „*Λεινός ἀνήρ. τάχα κεν καὶ ἀνάτιον ἀιτιόφιλο*“ Eandem sollicitudinem prae se fert XIII. 25. Neque tamen desperat, scriptum suum probatum iri Varroni, quoniam et impensam fecisset in macrocolla, in quibus describendum curasset et epistolam ad Varronem, operis commendatricem, elegantissime scripsisset. Eam enim ne Tironi quidem, qui totas *περιοχάς* persequi soleat, sed Spinthero, librario suo syllabatim se dictasse. Eam epistolam legimus ad fam. IX. 8., ubi Cicero dicit,

se teneri non potuisse, quin conjunctionem studiorum, quo posset literarum genere, declararet.

Ex his, quae de literarum commerciis paucis adumbravimus, facillime intelligitur, doctrinam grammaticorum multiplicem variamque fuisse. Admodum vero paucos Romanorum fuisse, qui totos se grammaticis studiis dederint, in summo otio maximaque copia quasi heluati sint libris, quibus οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πᾶσι εἶδέναι fuerit, ad Att. IV. 11. licet haud injuria affirmare.

### Reliqua sequentur.



# Schulnachrichten.

## I. Chronik der Anstalt.

Das neue Schuljahr begann mit dem 2. Mai 1848. Die Frequenz der Anstalt überhaupt war zwar nicht gestiegen, die Schülerzahl war sogar am Anfange dieses Schuljahres im Verhältniß zu Ostern 1847 geringer: es hatte sich jedoch durch die kurz vor dem Feste Statt gehabte Translokation so gefügt, daß gerade nach den mittleren Klassen ein starker Zudrang Statt fand, und Tertia mit 46, Quarta mit 43 Schülern eröffnet werden sollte. Für eine solche Klassenfrequenz bot das bisher benutzte Interims-Schullocale keine mit den nöthigen Gesundheits-Rücksichten vereinbare Räumlichkeiten. Die Direktion sah sich daher genöthigt, außerhalb des Schulhauses in der Wohnung des Herrn Apotheker Kratz ein geräumiges Zimmer für die Tertia der Anstalt zu miethen, welche Maßregel das Königl. Prov. Schulcollegium in einer Verfügung vom 5. Mai genehmigte und die Miethen für das neu hinzugekommene Zimmer auf den etatsmäßigen Ausgabe-Vantitel anwies. Wurden durch diese Separat-Klasse auch dem Lehrercollegium mancherlei neue Unbequemlichkeiten bereitet, so ist doch das geräumige, freundliche Zimmer dem Gedeihen des Unterrichts in der genannten Klasse, wie die Erfahrung alsbald zeigte, förderlich gewesen.

Am 8. Mai 1848 wurde die Deputirtenwahl für die constituirende Versammlung Preußens in unserer Kreisstadt Osterode abgehalten. Sie fiel auf unsern Collegen Witt, welcher bereits am 19. Mai abreiste, um am 22. Mai bei Eröffnung des Parlamentes in Berlin zugegen zu sein.



